



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De admira[n]da fidei pote[n]tia: maxi[m]e i[n] hoc dicto sindone[m] fecit,  
et ue[m]didit et ci[n]gulum tradidit chananeo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)



Fons oris iustitiæ sine dubio hæc ipsa scriptura nobis est. Hunc enim haurimus illud quod ore ad salutem confitemur, & quod confitendo iustificamur. Vocatio capituli ipsa est sancta scriptura nobis, quia per ipsam uocat nos ad se caput Christus, ut membra eius effici mereamur. Dentium signa sunt hæc omnia, quia non nisi dentibus & plectro linguæ formata sonant hæc elementa, ut legi uel audiri possit omnis sancta scriptura, de tam paucis elementis tam multipliciter conscripta.

**¶** Be ammiranda fidei potentia, maxime in hoc dicto. Sindonem fecit, & uendit & cingulum tradidit Chananeo.

Caput .VIII.



Inter cætera pulchræ huius laudationis capitula: quoniam cuncta pertractare nostri propositi non est: etenim nimis longum esset: istud intactum prætereire non patior. Sindonem fecit & uendit, & cingulum tradidit Chananeo. Denique sunt & cætera quidem ualde splendida, & secundum metaphoram Prophetæ &

Prouerbio. 31  
Cingulum tradidit Chananeo

fortissimæ mulieris multum ad rem siue mysterium pertinentia: ab eo quod ait, quæ fuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum, usque ad id, sindonem fecit & uendit, sed longe supra metaphoram est id, quod ait, & cingulum tradidit Chananeo. Quid enim? Nunquid proba mulier, sicut solet querere lanam & linum, & operari consilio manuum suarum, sicut solet de longe portare panem suum, & de nocte id est mane surgere, sollicita unde det prædam domesticis suis & cibaria ancillis suis, sicut solet inopi manum suam aperire & palmas suas ad pauperem extendere, hisque & alijs modis circa ministerium frequens satagere: sic solet etiam Chananeo cingulum tradere? Ergo hoc supra metaphoram est. Diligentiam adhibemus, sicut in cæteris, ita & in isto intellectum querimus, maxime propter illud quod dictum est in anterioribus parabolis. Acceptus est regi minister intelligens, iracundiam eius inutilis sustinebit. Dicimus itaque cum uoce gratiarum actionis, quia

Prouerbi. 34.

Chananeus al legorice homo in hunc mundo contemptibilis dicitur. Gene. 9.

Leui. 20

Job. 32

1. Cor. 1.

totiens hæc mulier fortis Chananeo cingulum tradit, quotiens præpotens fides quempiam, qui fuerat apud homines contemptibilis, altissimo deo regi magno acceptum reddit.

**¶** Chananeus quippe contemptibilis, immo & execratus deo fuit, cum adhuc esset in lumbis patris sui Cham, dicente Noe: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.

Item secundo: Benedictus dominus deus Sem, sic Chanaan seruus eius. Itemque tertio: Dilatet deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sicut Chanaan seruus eius. Valde ergo contemptibilis Chanaan, cuius septem gentes ad introitum filiorum Israel, deo iudice, terra eum

mere debuit, quod & fecit. Contra fides ualde potens & ualde nobilis, quæ Chananeo tali homini, uel cuiilibet simili huic secundum ignobilitatem seculi, cingulum tradere potuit, ut præcinctus ambulet ob meritum fidei quam suscepit: filius regni, qui fidem non habent iacentibus & discinctis, aut etiam in captiuitatem ductis.

**¶** Quemadmodum dicit sanctus Iob: Balthem regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. An non & Apostolus hoc dicit? Sed quæ stulta sunt mundi (ait) elegit deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit deus, & quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. Cuncta hæc & stulta, & infirma, & ignobilia, & contemptibilia, & quasi non existentia: recte intelligis uno nomine Chananeus, quem domina fides & syndone sua uestire, & cui cingulum pro uelle suo tradere potuit & tradidit, & sola hoc fecit, ut qui seculo in honoris habebatur, honoratus incedat coram oculis domini, & in conspectu quoque hominum magnorum siue paruulorum, qui domestici sunt eiusdem fidei.

**¶** Quomodo ad instructionem fidei pertineat sequens liber Ecclesiastes, uanitas uanitatum & omnia uanitas.

Caput .IX.



Actenus à nobis habitus sermo, intentionem prowerbiorum spectare demonstrauit ad instructionem fidei, ex qua iustus uiuit: nunc iuxta propositum demonstrandum est, intentionem libri Ecclesiastes in eo esse, ut certam præbeat rationem spei, scilicet in quo non sperare, & in quo spem suam ponere debeat homo

Ecci. 1

rationalis. Hoc facere ita incipit. Vanitas uanitatum dixit Ecclesiastes; uanitas uanitatum & omnia uanitas. Quid habet amplius homo de uniuerso labore suo, quo laborat sub sole, subauditur, nisi uanitatem? Sic à sole incipiens, quod pulcherrimum est opus creatoris, & excelssimum cunctorum, ex quibus uita mortalium subsistit & delicias parat sibi, cuncta uani